
22

Jaśnie Wielmożnemu JXiędzu

Wolskiemu

Kannonikowi Kaliskiemu Katedralnemu

Proboszczowi Żmierzynnickiemu

Kommissarzowi Biskupiemu

Eremu Bielanskiego

na Żmierzynau

PROPOSITIONES
EX
UNIVERSA PHYLOSOPHIA

Ad Mentem

Divi THOMÆ Angelici & Ecclesiæ Doctoris.

EXPOSITÆ.

A Religiosis Ordinis Sancti Benedicti

In Archi Cænobio Tynecensi

Ad Ædem SS. Apostolorum Petri & Pauli

Anno Domini 1768. Mense Majo. & junio.

EX LOGICA.

I.

DAtur defactò Logica Artificialis, quæ est habitus, acquisitus, & ab Arte reinventus

II.

QUæ primaria sui divisione cũ in Docentem & Utentem, analyticam & Topicã, & sophisticã partiri queat, hæc membra dividentia non dicimus esse distinctos realiter habitus, sed solum virtualiter.

III.

Cùm verò objectum materiale illius nequeat esse Intellectus humanus nec actus Intellectus seu operationes mentis formales, quare pro ejus modi Objecto assignamus Operationes mentis Objectivas, seu res cognitas.

IV.

PRo Objecto verò formali, dicimus 2das intentiones Objectivas pro Objecto autem Attributionis asserimus Modum sciendi prout involvit definitionem divisionem & Syllogismum, tûm probabilem, tûm demonstrativum.

V.

HAbitus Logicæ est simpliciter speculativus. & nullo modò practicus.

VI.

QUi est simpliciter necessarius ad alias scientias in statu perfecto acquirendas, ad actus tamen aliarumscientiarum concurrit directive & non effèctivè ad artificium verò seu dispositionem artisiciosam nempe formam Syllogisticam quæ reperitur in Objectis aliarum scientiarum, semper concurrit effectivè.

VII.

DIstinctio rectê definiri solet quòd sit duorum in aliquo prædicato dissensus seu ut aliis placet: unius ab altero cum negatione divorttium.

VIII.

VIII.

QUæ cùm sit multiplex, ideoq; inter gradus Metaphysicos solam dari distinctionem virualem intrinsecam Thomisticam eligimus.

IX.

DIstinctionem verò formalem ex natura rei seu Mediam Scotisticam, nullomodo admittendam esse inter præfatos gradus Metaphysicos, censemus.

X.

ADmittimus insuper præcisiones Objectivas, illasq; solas ad salvandos gradus Metaphysicos sufficere asseveramus.

XI.

DEus cùm sit Actus purissimus, ac omnis compositionis expers, nullomodo collocari potest in prædicamento substantiæ.

XII.

EX duabus propositionibus contradictoriis de futuro contigente antecedenter ad omne Decretum Divinum seu determinationem Causæ 1mæ, neutra illorum potest esse determinate, vera aut falsa.

XIII.

TAnta est connexio Conclusionis cum præmissis, ut Intellectus posito assensu præmissarum & cognita bonitate consequentiæ, necesitetur ad inferendam conclusionem.

Ex PHYSICA GENERALI & PARTICULARI

XV.

OBjectum adæquatum Physicæ est corpus naturale quà tale, ita ut corpus sit objectum materiale, naturale autem seu naturalitas formale, & hoc quidem convenientiùs quàm aliud.

XV.

PRincipia corporis naturalis, illa debere esse quæ nec ex alterutris nec ex aliis, sed ex illis omnia sunt & fiunt.

XVI.

QUa propter Systema Aristotelis quò materiam 1mam & formam substantialem tanquam substantias incompletas absolutas præ ceteris eligimus: juxta quod dicimus hæc esse vera principia corporum naturalium, ex quibus unum quodq; corpus naturale componitur.

XVII.

QUod attinet systemmata: & imprimis Democriti à Gassendo restitutum & emendatum pro 1mis & universalissimis principiis corporis naturalis atomos admitti non posse statuimus.

XVIII.

MUltominùs nobis placent principia 3plicis materiæ Cartesianæ utpote fictitia.

XIX.

IN omnibus corporibus sublunaribus est materia 1ma: & definitur: subjectum 1mum unius cujusq; ex quo aliquid fit cum in sit non 2dùm accidens, etsi corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.

XX.

QUæ secundum se spectata, nec aliquem actum entitativum, nec actum differentialem, nec actum existentiæ habere videtur.

XXI.

QUæq; ita habet appetitum innatum ad omnes formas substantiales, quas æqualiter semper appetit (estò in perfectione substantiali sint in æquales) ut nec divinitus possit existere sine omni forma substantiali.

XXII.

PRæter alias prærogativas quibus fungitur hoc specialiter sibi vendicat, quòd sit ingenerabilis & incorruptibilis.

XXIII.

FOrma substantialis non solùm in homine (pront ex Concilio Viennensi sub Clemente V. & Lateranensi

sub

ſub Leone X. conſtitutum) ſed etiam in aliisquibus cunq; corporibus datur. quæ non conſiſtit in diverſa modificatione, motu, textura, figura atomorum, ſed eſt vera forma ſubſtantialis.

XXIV.

PRæter formam ſubſtantialem, admittendum inſuper eſt & præcipuè in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento; accidentia abſoluta.

XXV.

QUæ cùm ſit actus imus materiæ imæ, nullatenus aſſerere poſſumus; ut plures formæ ſubſtantiales totales etiam ſupernaturaliter poſſint ſimul informare eandem numerô materiam.

XXVI.

MAteria & forma ſuppoſitis diſpoſitionibus aliisq; conditionibus, in toto Compoſito, immediatè ſeipſis ſine aliqua unione diſtincta & ſuperaddelita uniuntur.

XXVII.

ADeoq; totum Compoſitum Phyſicum non diſtingvitur ab illis tanquam partibus ſimul unitim & in recto ſumptis.

XXVIII.

LIcet Carteſius opinetur Cauſas creatas nihil operari, ſed Deum ad præſentiam earum omnia efficere, attamen dantur cauſæ creatæ verè ac propriè efficientes & activæ.

XXIX.

NUlla tamen ſubſtantia creata poteſt eſſe immediatè operativa: adeoq; principium immediatè operandi eſt accidens ita, ut reſpectu ſubſtantiæ producendæ ſit Virtus Inſtrumentalis, reſpectu autem alterius accidentis ſit Cauſa principalis.

XXX.

PAriter dicimus quod nulla Creatura tanquã Inſtrumentum Phyſicum aſſumi poteſt à Deo ad creandum.

XXXI.

XXXI.

PRæter concurſum ſimultaneum quo DEUS Cauſis 2dis cooperatur, datur inſuper Præmotio Phyſica, per quā DEUS præcipuè concurrit ad operationem Cauſæ creatæ, quæ nec præjudicioſa eſt libertati, neq; Dei Sanctitati. Sed etiam cum aliis Dei perfectionibus videtur poſſe componi.

XXXII.

LIcet poſſibile ſit infinitum Syn categorematicum, infinitum tamen Categorematicum implicare videtur.

XXXIII.

A fortiori etiam Creatura 2dum eſſentiam infinita, ideſt quæ in linea entis careat termino & limitibus non eſt poſſibilis.

XXXIV.

CUm ex communi SS.PP. & Doctorum æſtimatione conſtet, quòd ſalva Dei Excellentia nequeat eſſe creatura æterna, hinc Mundus æternus tàm quò ad entia per manentia, quàm ſucceſſiva non eſt poſſibilis.

XXXV.

GEneratio formaliter ſumpta prout eſt actualis tranſitus ad novam formam ſubſtantialem, realiter non diſtingvitur à propria alteratione ultimò diſponente materiam ad talis formæ receptionem.

XXXVI.

IN corruptione verò ſubſtantiali fit reſolutio uſq; ad materiā 1mam, ita: ut nullum prorſus accidens idem realiter maneat in genito, quod 1ùs fuerat in corrupto.

XXXVII.

INtenſio qualitatis quæ eſt ſpecies alterationis definitæ ab Ariſtotele & D. Thoma: quòd ſit motus inter qualitates ſenſibiles contrarias medias vel extremas manente eodem ſubjecto ſenſibili, non fit per de purationem à ſuo contrario neq; per deſtructionem imperfectioris qualitatis & productionem novæ perfectioris nec

etiam

etiam per additionem gradus ad gradum sed per majorem radicationem ejusdem qualitatis in subjecto.

Ex ANIMASTICA.

XXXVIII.

UT ab intima explicatione animæ exordiamur duas definitiones olim ab Aristotele traditas. quarũ 1mæ lib. 2. de anima cap. 1mo. tenor sese offert talis (Anima, est actus substantialis corporis naturalis organici potentiâ vitam habentis) 2dæ verò ibidem lib. 2. cap. 1. Anima est id quò primô vivimus sentimus locô movemur & intelligimus, essentiam illius exponere sustinemus.

XXXIX.

Atq; ad sensum harum posterioris præsertim, non est cur in plures præter vegetativam, sensitivam & rationalem animam partiamur.

XL.

POrro divisione hac minimè obstante quinimo non attenta distinctione vitæ graduum à Peripateticis receptorum; unicam animam in uno vivente quæ singula vitæ munera præstet & tribuat omnes gradus, profitemur.

XLI.

IMò hoccè ipsissimô motivo pluribusq; aliîs, formam corporitatis Scotistarum realiter distinctam ab Anima, dicimus.

XLII.

QUidni etiam & partiales eorundem formas propulsemus.

XLIII.

At quod animationem sive informationem Animæ tangit, cùm de singulis corporis partibus instituendꝰ sermo prolixior esset, id quod circa sangvinem controvertunt Philosophi, dicimus ita: ut supposita notione sangvinis perfecti & imperfecti, sangvinem perfectum & consummatum ex chylo, perfectè & consummatè in jecore vel

corde

corde de coctum ac per venas atq; arterias divisum, non formari Animâ totius viventis concludamus.

XLIV.

UT autem ad divisibilitatem descendamus animarum rem statuimus ita: ut animas animalium perfectorũ prorsus indivisibiles; è contra verò animalium imperfectorum divisibiles propugnemus.

XLV.

JAm tandem potentias animæ realiter distingvi ab ipsa; cum omnibus Thomistis perpetuò defendimus.

XLVI.

ANimalia bruta meras machinas cum Recentioribus sustinere nequeuntes circa contradictionem Authoritati Divinæ humanæq; ea vivere, esseq; prædita animâ sensitivâ demonstramus.

XLVII.

ANimam deniq; rationalem: esse Spiritualem & immortalem evidentissimè habemus.

Ex METAPHYSICA.

XLVIII.

ETsi Ens possit imperfectè abstrahi à suis differentiis & inferioribus, non tamen potest perfecte præscindi, propter quod nequit habere conceptum univocum respectu substantiæ & accidentis.

XLIX.

ESsentia & Existentia entis creati distingvitur realiter.


L.

NOn verò Existentia & Subsistentia: quæ non in mera negatione subsistere videtur, sed superaddit naturæ verè aliquid positivum.

Ut in omnibus glorificetur DEUS S. P. B.
Reg Suæ Cap. 57.

iciu
ter
na i
oru
tpo
ne i
ec f
atu
nen
ate
ſpi
nal
ide
ui c
n e
nu
, an
uoſ
ru
iuda
eti
qua
inu
, &
lun
ere
uo
ſpa
pri
ten
rce
eiu

cor
a
ore
tem
au-



Kommissarzu Dobrodzieju!

jedno podanie względem zmnieyszenia Eremu przesyłam tego Koncept, Jaśnie Wielmożnego Dobrodzieja — i proszę o swoie łaskawe zdanie czy mam podać lub nie? —

...szego Uszanowania

... 839 r.





